

15542.

D E .
ACIDI PHOSPHORICI USU
MEDICO.

DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM,
CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,
PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE

RITE IMPETRANDO,
LOCO CONSUETO
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
HENRICUS GUILIELMUS KRUMSIEG.
SCHWEDIA BRANDENBURGENSIS.

DORPATI LIVONORUM
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI
MDCCXXV.



I m p r i m a t u r,
ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum
censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. die xxvii. Febr.

MDCCCXXV.

Dr. L. A. Struve, h. t. Decanus.

LUDOVICO AUGUSTO STRUVE
MED. ET CHIR. DOCTORI, A CONSLIIS AU-
LIC. ROSS. THERAPIAE ET CLIN. P. P. O.
EPISTOLARUM COMMERCIO JUNCTO
SOCIETATI MEDICAE
HAFNIENSI.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO ET
DOCTISSIMO.

D 16th 41

VIRO PRAESTANTISSIMO MAXIMA-
QUE PIETATE COLENDΟ

HOC PRIMUM LITERARUM SPECIMEN QUA
PAR EST OESERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Caput I.

De historia et paratione acidi phosphorici.

Sub finem saeculi septimi decimi non ita multo post phosphori detectionem Boyle primus esse videtur, cui acidi phosphorici, phosphori combustionē obtenti, virtutes haud ignotae, publice vero non vulgatae fuerunt, quod autem a Guilielmo Homberg 1) siebat anno MDCCXII. Marggraf illud anno MDCCXL produxit e sale urinæ nativo per evaporationem ammonii acidique vires accuratius investigare studuit 2). Honos reddatur

1) Anat, chym, und bot, Abhdl. d. franz. Academic. Bd. IV, S. 81 — 95. — Crell's neues chem. Archiv, Bd. I, S. 7e etc.

2) Crell's neues chem. Archiv, Bd. IV, S. 289—298.

Celeberrimo Gahn, qui primus hocce acidum cum calce junctum detexit in ossibus; experimenta ejus ab anno MDCCLXIX ad MDCCLXXI instituta eodem tempore a Scheele et Bergmann confirmata fuerunt 3). Scheele et Gahn ab parandum hocce acidum hanc secuti sunt agendi rationem: 4) Ossibus ad albedinem usque usque quantum placet in acido nitrico vel muriatico solutis, calcariā tunc cum acido sulphurico praecipitatā, fluidum in retorta viorea ad siccitatem usque evaporatum est. Nicolas 5) brevi post methodum multo probabiliorem in vulgus edidit, secundum quam ossa tantummodo acido tractantur sulphurico. Anno MDCCLXXXI Wiegleb 6) docuit, quomodo acidum phosphoricum, methodo mox dicta enatum, separari possit a calcaria sulphurica et phosphorica, dum illud acidum ammonio saturavit, hocce vero ab ammonio phosphorico

exerto sejunxit igni fortiori. Struve 7) tali egit modo: acidum phosphoricum ex ossibus acidi sulphurici ope elicium ad mellis spissitudinem evaporatum, sufficiente miscetur cum alcoholis quantitate, in quo acidum solvitur phosphoricum liberum, denique alcohol destillatione fugatur. Quae agendi ratio a Schrader 8) in melius mutata est, quod acidum, alcohole pér destillationem remoto, cum ammonio saturavit aestu majori amo- vendo.

Inter acidi phosphorici ex ossibus paratio- nes semper optima manet quam Wiegleb laudibus tollit, quaeque in Pharmacopoea locum tenet Bo- russica. Nova tamen adhuc acidi eodem modo existit parandi methodus a Buchholz 9) proposita, memoria haud indigna. Ossium ad albedinem combustorum, in pulverem subtilissimum reda-

3) John's Handwörterbuch d. Chemie, Bd. III.
S. 203.

4) Crell's chem. Journal, Th. I. S. 23.

5) Roziers Observ; T. XII. 1778. Vol. II. pag.
440.

6) Crell's neueste Entd. d. Chemie, Th. II. S. 5.

7) Dörrfurth's neues deutsches Apothekerbuch,
2ter Th. pag. 207.

8) Tromsdorff's Journal der Pharmacie, B. V.
St. 2. S. 90.

9) Buchholz Theorie und Praxis pharmaceutisch
chemischer Arbeiten, Th. pag. 277.

ctorum partes binae in vitro commiscentur cum aquae partibus octonis, acidi sulphurici parte singula; tunc digestioni totum sub frequentiori agitatione exponitur, quo facto omnis massa aqua diluitur, ac per manicam Hippocratis exprimitur, residuumque parumper abluitur; nunc sensim sensimque fluido colato ternae plumbi acetici partes in sex partibus aquae solutae admiscentur, totumque digestioni exponitur; postea fluidum a plumbbo phosphoricō separatum, unciis quin decim acidi sulphurici octonis partibus aqua diluti, decomponendum rursusque digestio tradendum est; denique acido phosphoricō ad remanentiam binarum partium evaporato tam diu aqua hydrothionica addatur, usque dum nullum exoriatur sedimentum, tunc liquefiat acidum atque effundatur in laminam cupream puram.

Ut acidum prodeat ex urina, hocce fieri potest modo praecipitando nempe illud cum solutione plumbi acetici, quo facto praecipitatum aestu majori tractatum, cum acido sulphurico est decomponendum. 10).

10) John's Handwörterbuch d. Chemie, Bd. III.
S. 205.

E phosphoro ipso acidum triplici obtinetur ratione; combustionē lenta, combustionē celeri et tractando phosphorum cum acido nitrico.

1. Combustione lenta. Phosphorus in cella aëri atmosphaericō in temperie 15° R. exponitur, minuta phosphori frustula collocantur in tubulo infundibili vitrei, qui in vas immittitur vitreum, totumque charta leviter obtegitur. Phosphorus oxygenium aëris atmosphaericī attrahit, ac sensim sensimque aescit; prius vapores observantur lenes, in tenebris lucescentes, tunc ipse in superficie concreto acido, quasi cortice albo cooperitus apparet, qui humorem attrahendo pedetentim guttulas refert in vas inferius stillantes; tribus vel quatuor septimanis phosphorus prorsus disparuit. Acidum phosphoricum tenuius hocce modo confectum, plerumque quadruplo vel quintuplo phosphori exhibiti quantitatē superat, sed haud perfecta oxygenio saturatum, ut plurimum quoque substantia aliqua subruba pulverulenta inquinatur est. Praeditum est odore gravi alliaceo, ac calesactum, abit in acidum phosphoricum perfectum; idem accidit si per longius tempus aëris atmosphaericī com-

mittitur contactui. Promptissime ab acido nitrico et muriatico perfecte oxydatur.

2. Combustione celeri. Phosphorum in campana vitrea cum gaze oxygenio repletâ et aquae vel hydrargyri ope occlusâ comburunt; primo modo acidum phosphoricum liquidum, altero vero siccum obtinetur. Singula phosphori pars binas cum dimidio largitur acidi partes,

3. Accēsentia phosphori ope acidi nitrici. In particulam phosphori unam, acidi nitrici partes octo totidem aqua dilutâ immittantur, tunc massa in cucurbita vitrea cui junctum est recipiens probè agglutinatum, sensim sensimque ignem augendo, calefatur. Phosphorus oxygenii partem aufert acido nitrico, quod gazis nitrosi forma avolans in connubio cum oxygenio aeris atmosphaericij acidum fit nitrosum, itaque sub forma apparet vaporum rubrorum; in cucurbita acidum remanet phosphoricum.

Acidum phosphoricum pro usu interno semper paretur necesse est, e phosphoro ipso; pro usu vero externo acidum ossibus productum rite quoque adhibendum.

Caput. II.

De notis acidi phosphorici physicis ac chemicis ejusque inquinatione.

Acidum phosphoricum purum absque ullo sese offert colore, sapore peculiari haud ingrato acidulo; quamvis in aestu, quo ferrum rubrum evadit, haud mutatur, attamen ubi ille diutius et paulisper auctus perseverat, in vaporibus avolat spissis albisque, verisimiliter reductionis alicujus causa ¹¹⁾). Flocci, combustione phosphori orti, aqua immunes esse videntur, quam ob rem etiam sub caloris augmento et cum strepitu in aqua solvuntur. E salibus nitricis, muriaticis atque fluoricas acida aufert, nec non via sicca acidum sulphuricum expellit ex connubiis suis cum alcalinis; calore liquefit redditurque vitrum pellucidum; acidi liquefacti pondus specificum (aquaes distillatae ponderi aequiparatum) est: 2,800 et ultra; statu liquefacto semper aquam continet,

¹¹⁾ John's Handwörterbuch der Chemie, Bd. III.
S. 205.

cujuſ quindeneae partes in centenis reperiuntur auctore Berthollet. Cum alcohole acidum phosphoricum aquae expers haud paullo effervescit, ſed cum illo destillatum naphtham non praebet. Tum in aqua, tum in alcohole faciliter solvendum; ſi vero acidum ex oſſibus paratum, nec ſatis purum fuerit, ſpiritu vini vel ſolutione Kali carbonici puri admixtis praecipitatum nascitur, quod priori in caſu e calcaria conſiſtit hyperphosphorica cum calcaria ſulphurica mixta, poſteriori vero in caſu e calcaria carbonica, vel quoque ſolummodo e terra ſilicea et aluminari, quae fuſione crucibulo dirimuntur. Solutioni plumbi acetici admixtum acidum phosphoricum praecipatum format ponderoſum, in acido nitrico puro in liquorem plane abiens clarum. Acidum phosphoricum, ſi cum carbone excandescit, diſcidium patitur ac phosphorus ſeparatur. Ita et metalla hocce acidum igni poſteriori reducunt, nam metalla redduntur phosphorata, nec non oxydignuntur metallica pura vel phosphorica. In olea aetherea nec non unguinosa, prout minus vel magis sit aqua liberatum, variam, aſt nunquam vehementiore exerceſt vim; olea aetherea nota-

bili ſub calore obscuriora, ſpiffioraque redduntur, e nonnullis materia ſecernitur resinosa; olea unguinosa, quae ſicca redi queunt, initio quidem, parum modo acido phosphorico calefacta, inſpiffantur, poſtea vero, ubi ſeponuntur et in alcohole ſolvuntur, ab illo ſeparantur, atque cum aqua diluta laeteam quaſi induunt ſpeciem; Olea autem, quae unguinosa manent, ab illo acido vix ne vix quidem mutationem aliquam patiuntur 12). Acidum phosphoricum vitrificatum parce conſpersum in columna Voltana in phosphorum abit atque oxygenium. — Auctore Gmelin 13) cum aqua exinde nascitur:

a) Hydras phosphori. 1. dum phosphorus, vel acidum hypophosphoricum tractatur cum acido nitrico 2. dum ammonium phosphoricum diutius exponiuit aestui poſteriori et 3. dum calcaria phosphorica tractatur cum alcohole. Vitrum eſt haud ita durum, decolor, pellucidum,

12) Dörrfurth's neues deutsches Apothekerbuch, Th. 2. pag. 225.

13) Gmelin's Handbuch der Chemie, Th. 1. pag. 188.

quod calore liquatum fluidum praebet syrupo simile atque in temperie, ubi ferrum colore rubro fulget in vapores prorsus abit.

b) Crystalli acidi phosphorici. Hae nonnunquam formantur, ubi acidum phosphoricum concentratum aquosum sepositur ad quietem; columnae evadunt quadrilaterae, compresae, cum pyramidibus quadrilateris terminalibus, crystalli acubus pennisque similes, aquae majorem hydrato continentem, quantitatem,

c) Acidum phosphoricum aquosum.

In forma concentrata syrapi gaudet consistentia ac secundum Suersen pondus ejus specificum est: 2,000.

Daltonii tabula de acidi phosphorici, siccii in liquido quantitate

pondus specificum	1,85	1,60	1,59	1,23	1,10
Acidi partes	50	40	30	20	10

Cum basibus acidum phosphoricum salia format phosphorica, Phosphates. Nonnulla hujus acidi cum alcalinis connubia alcalinorum modo reagunt. Salia phosphorica ab igni nullam experientur mutationem, si eorem basis fixa; plurima ex parte faciliter liquefunt atque carbone temperie

altiori omnia reducuntur; discidium quoque patiuntur ex acidi sulphurici additione. Salia phosphorica basica et plurima neutra non quidem in aqua, sed eo promptius in acido sunt solubilia nitrico; salia vero acida in aqua dissolvuntur.

Partes acidi phosphorici constitutivae sequentes:

	Lavoisier	Davy	Rose	Thomson	Berzelius
Phosphorus	39,35	40	46,78	45,2	44
Oxygenium	60,65	60	53,22	54,8	56
	100,00	100	100,00	100,0	100

Pro usu medico rarissime adhibetur acidum phosphoricum vitrificatum, paullo frequentius concentratum, plerumque vero dilutum. Acidi phosphorici vitrificati pars singula in aquae destillatae partibus ternis soluta, acidum praebet phosphoricum concentratum; hocce vero cum aequis partibus aquae dilutum, acidum repraesentat phosphoricum dilutum.

Acidum phosphoricum inquinatum esse potest;

1. cum acidó sulphurico, si ex ossibus param non tractatum fuit aestu majori; hancce inquinationem baryta deteges muriatica.

2. cum acido nitrico. Hujuscemodi acidum,

si in cucurbita vitrea igni exponitur, acidi nitrici praesentia sese manifestabit vaporibus rubris.

5) cum calcaria phosphorica. Tali acido ammonii additur caustici plus quam ad saturationem sufficit, quo facto praeципитatum oritur molle, in lixivio caustico calido haud solubile, sed eo solubilius in acidi muriatici quantitate majori.

4. cum terra silicea atque aluminari. Lixivio caustico, majori in quantitate addito, praeципитatum si nascitur album gelatinosumque, postremo faciliter solubile, terram acido inesse aluminarem, haud latet. Terram vero siliceam hocce cognoscere modo: Acidum phosphoricum cum Kali saturatur, liquor inde ortus ad siccitatem evaporatur, massaque tunc in aqua solvitur, quo facto praeципитatum producitur granosum, siccum, sub attactu asperum.

5. cum acido phosphoro. Haecce inquinatio, ubi acidum calefit, scintillas emitendo ac odore sese prodit phosphori peculiari.

6. cum plumbbo atque cupro. Acidum, quod neutrum factum est, aqua hydrothionica immittenda; praeципитatum si evadit nigrum, quod in vitro cum acido nitrico ac muriatico coctum re-

siduum linquit album, nec liquorem viridi tingit colore, plumbum in illo contentum; si vero nullum remauet residuum, liquor viridis redditur, tunc ferro cupri praesentia manifesta redditur; recte autem praeципитato albo, si quoque solutio nascitur viridis, utriusque metalli praesentia extra omnem dubitationem posita. 14)

Etiamsi acidum phosphoricum vel ejusdem basis praesertim in regno occurrat animali, attenuatamen haud ita rarius in vegetabili offenditur atque minerali. Marggraf 15) illud jam detexit in Tritico, in Sinapi atque Lepidii speciebus ac postea in omnibus inventum est plantis albumine abundantibus. Meyer Stettini 16) praesentiam ejus demonstravit in resina vulgari atque plantarum foliis, ac Westrumb in carbone vegetabili. 17) Gahn 18) primus hocce acidum detexit anno

14) Buchholz Theorie und Praxis pharmaceutisch chem. Arbeiten, Th. I. S. 288.

15) Märggraf chem. Schriften, Th. I. P. 75.

16) Crell's Annalen 1784, Bd. I. S. 521.

17) Crell's Annalen 1787, Bd. I. S. 55.

18) Bergmann Op. ch. et ph. II. pag. 424.

MDCCLXXX in regno minerali, in plumbi quidem mineris calciformibus (im kalkförmigen Bleierz). Cum calcaria junctum inventum est in Apatito saxonico 19) (Trügling) in calcaria phosphorica Estremadurae in Hispania etc.

Acidum phosphoricum, sicuti omnia acida, non est adhibendum in connubio cum alcalinis atque terris, nec reductionis causa cum Borace, Kali acetico, succinico ac tartarico, Natro acetico, Tartato natronato, Plumbo acetico atque Hydrargyro nitrico. 20)

Caput III.

De vi medica acidi phosphorici generali.

Quod vim medicam attinet acidi phosphorici generatim, Bertele 21) nil aliud dicit, nisi il-

19) Werner im Bergmannschen Journal 1788, Bd. I, S. 76: Klaproth eben daselbst, S. 294.

20) Dorffurth's neues deutsches Apothekerbuch, Th. 2, S. 227.

21) Georg Aug. Bertele Handbuch einer dynamischen Arzneimittellehre §. 105.

lud majoris pretii esse substratum acidi sulphurici, iisdem virtutibus praediti. Judice Hecker 22) minus infeste aliis acidis in sistema agit nervorum, quin imo hocce ab illo compesci posse, quam ob causam spasmi ac dolores sedantur; sed ejusdem auctoris sententia tussem magis promovere valet, quam alia acida. Voigtel 23) vires acidi phosphorici generales ab Herder quocum generatim consentit promissis videtur. Herder 24) nempe vim acidi ab hisce tribus derivat principiis: 1. Acidum phosphoricum medicamentum est organismo humano omni ex parte homogeneum 2. in principium vitale directe agere videtur 3. cum excitante aliquo fortiori junctum, ibi praecipue agit, ubi alia acida conata nostra desistunt. Secundum Burdach 25) a reliquis acidis simplicibus discrepat eo, quod indeole minerali minus

22) Hecker's praktische Arzneimittellehre, Th. II, S. 260.

23) Voigtel's Arzneimittellehre, Bd. II, S. 115.

24) Hufeland's Journal, Bd. IX, St. III, S. 148.

25) Carl Friedr. Burdach System der Arzneimittellehre, Bd. III, S. 395.

praeditum, organismo humano minus est alienum, cuius potius magna gaudet mixtionis quantitate, quam ob rem faciliter ab illo assimilatur. Quare ubique locum tenet, ubi omnino acida indicata sunt simplicia, in primis ubi receptivitas maxime exaltata, atque organismus est tenerrimus. Ex sententia Celeberr. Struve, praecceptoris ad cineres usque colendi, acidum phosphoricum systematis nervorum, aequa ac nitrum systematis vasorum, imminuit receptivitatem auctam, nequitiam vero vim reactionum. — Acidum phosphoricum primitus vim suam monstrare videtur in systemate ganglionum, abhinc per nervum sympatheticum magnum in vasorum nervis; tunc porro in nervos cutaneos primario agit modo, quo vis ejus secundaria in vasa pulmonalia, cutanea capillaria atque partium genitalium vasa explicari licet. Effectus ejus compescens in partium genitalium perturbationibus a vi ejus pendet in ganglionum systemate perspicua. Praeterea acid. phosph. in ossa specifico agit modo.

Usu ejus nimis protracto, vel immodica dosi adhibita, infestantur pulmones, tussisque nascitur vehementis, simulque digestionis labefactantur or-

gana, quod Celeb. Wylie hisce confirmat verbis: 26) „Incipiendum est a minima dosi, nam et decem interdum guttae (mobili nervorum systemate) cardialgiam, gastrodyniam, enterodyniam, atque protracto usu, sialorrhœam produxere.“

Acidum quomodo agat phosphoricum in organismum sanum, ut certus fierem, ipse ego assumsi guttas XL pro dosi ac quantitatem auxi ad ʒij; altius ascendere non valui, cum tussis me corripuerit dolorifica; alvum paullo fluidorem ac rariorem deposui; memoratu adhuc dignum, quod odor peculiaris e naribus per diem unum effusus est, odorem acidi phosphorici aemulans.

Statu concentrato vel large ventriculo immisum, acidum phosphoricum dicit vitam; idemque fit, si grana nonnulla in aquae portione sufficiente soluta venis infunduntur; sanguis enim coagulatur et animal, praeterlapsis duobus vel tribus minutis, mortem obit. Canem parvulum duorum annorum triginta grana acidi phosphorici

26) Pharmacopœa castrensis ruthenica Auctore Wylie Equite Baroneto etc. Editio tertia Petrop. 1818. Pars II. pag. 13.

ci in aquae β s soluti, deglutire jusserunt, quo facto duobus minutis animal parvam materie ruficundae, in fila distrahendae, copiam vomitu edidit, quo nonnullis vicibus repetito, duabus horis in gutture dolores adesse videbantur ac frustraneae ad vomitum intentiones. Postridie mane animal defessum, triste, humumque prostratum, cum ad incedendum erigerent, tali corruptum est vertigine, ut binos vix ingredi posset passus, quin humum caderet, ac tempore meridiano viginti quinque horas post beneficium mortuum est. Dissecto cadavere ventriculi membrana mucosa, praesertim ad orificium inferius, obscure rubra deprehensa; duodeni vero interna facies ac pulmones haud mutati. 27)

Caput IV.

De vi medica acidi phosphorici speciali.

Jam ineunte saeculo decimo septimo Angelus Sala acido phosphorico, quamvis et basin et indo-

27) Allgemeina Toxicologie v. M. P. Orfila, Th. II, §. 593.

lem ejus ignoravit, cum calcaria sulphurica mixto, sub nomine Bezoardici vitriolati usus est medicamento prophylactico contra pestem 28)

Novissimis temporibus multisquidem in morbis adhibetur acidum phosphoricum, nihilo tamen secius medicamenti hujusc gravissimi vires magis observanda, accuratiusque sunt investigandae, quod Voigtel hisce in medium profert verbis: 29) „Auf jeden Fall verdient die Phosphorsäure eine grössere Aufmerksamkeit, als ihr bisher gewährt zu sein scheint, wenn auch die Theorie ihrer Wirkungsart nicht durchaus ge gründet sein möchte.“

Morbi in quibus utuntur acido phosphorico, sequentes:

In febribus typhosis contagiosis, in peste, febri nervosa et hisce similibus. Gravissima in typho contagioso indicatio Celeberrimo Goeden illud est tempus, in quo febris in decursu suumedium tenet inter inflammationem atque putredini-

28) Opp. medic. chem. Rothmag. 1650. p. 10.

29) Voigtel's Arzneimittellehre, Bd. II. c. p. 116.

nem colliquatrativam, ergo in febre putrida inflammatoria; e contra pulsus plenus atque durus, propensio ad inflammationem topicalam insignis, forma typhi magis chronica atque status gastricus exquisitus acidum contraindicant phosphoricum. 30) Testante Hecker aptum est in febre nervosa, debilitate crescente, motibus irregularibus spasticis, potissimum in individuis gracilibus, in feminis atque infantibus.—Secundum Cel. Prof. Struve in febre nervosa 1. ubi systematis vasorum actio insigni modo aucta, ubique systematis nervorum receptivitas majorem nacta est gradum, hujusce vero reactiones debilitatis jam prae se ferunt characterem, quo plerumque modo febris incedit nervosa versatilis. Cum ita res se habeant, acidum ab illo praescribitur nitro junctum hac in forma:

R. Nitri puri 3ij

solve in

Aquae fontanae 7vij

Acidi phosphorici diluti 5j

Syrupi acetositi. Ciri 2j

30) Hans Adolph Goeden von der Arzneikraft der Phosphorsäure gegen den ansteckenden Typhus.

M. S. Sumatur quavis hora vel quovis bihorio cochlear cibarium unum.

Ubi simul maximus sanguinis caput versus existit impetus, capiti quatuor ad duodecim imponuntur sanguisugae, epithemata et lotiones frigidae applicantur, clysmata refrigerantia ex acetato cum aqua vel serum lactis cum Cremore tartari et oxymelle in usum ducuntur, nec sinapismi omittuntur repetitis vicibus in suris collocandi. Haec agendi ratio tam diu continuatur, usque dum major in systemate vasorum nervorumque evanuerit excitatio, quod febris decremento et minori nervorum animique actionum alienatione, simulac debilitatis verae sensu, modico in gradu incipiente, cognosces; hic primum, erethismo systematis vasorum sublato nitrum amplius non indicatum, omittendum, nonnullis adhuc diebus acidum phosphoricum propinandum, tunc confugiendum est ad Angelicam, Serpentariam, et Valerianam et alia ejusmodi medicamina, quae ab initio acido adhuc junguntur phosphorico. — 2) Talibus sub conditionibus ubi in systemate vasorum haud parva existit agitatio, receptivitas vero

ac reactiones systematis nervorum majori in gradu minutae, quem statum intelliges ex pulso celeri nec amplius pleno, aestu magno, nonnunquam vel ardente, lingua sicca, fissa, fusca, deliriijam blandioribus, deficiente tamen torpore universalis cerebri, sensu gravitatis in capite, imbecillitate actionum muscularium; status, quo cum febres nervosae malignae mature incedunt, qui in febre nervosa lenta, si aliquamdiu insitit, mox apparet, in quem nonnullae febres hujus generis, cura quidem inepta ac nimis calefaciente adhibita, faciliter transeunt. Hic frigidarum, nec non calidarum lotionum et epithematum supra caput usus, ita et clysmata derivantia, quibus vel tartarus adjicitur emeticus, indicata. Derivationes institutas fortes sinapismorum ope in suris et plantis pedum ponendis, atque, ut praecaveat cerebri torporem, vesicans imponas nuchae. Acidum phosphoricum quamdiu in sistente vasorum et uerorum erehismus est auctus, hic quoque locum obtinet, sed jam ab initio cum infusis jungendum est nervinis, v. c. Valeriana, Serpentariae, Angelicae vel Arnicae, additis aci-

dis dulcificatis. Cel. Prof. Struve saepe hujus mixtionis vim expertus est saluberrimam:

R. Rad. Valeriana $\frac{7}{3}\beta$

Flor. Arnicae $\frac{5}{3}j$

inf. s. q. Aq. com. ad Colat. $\frac{5}{3}vj$

adde

Acidi phosph. dil. $\frac{3}{3}j$

Spir. salis dulcis $\frac{3}{3}j$ — $\frac{3}{3}j$

Syr. cort. Aurant. $\frac{7}{3}\beta$ — j

M. S. Praebeatur quavis hora vel quovis bihorio cochlear unum cibarium.

Tali modo si febris mitigata, vel prossus evanuit, vel si muscularum notabilis fit infirmitas, Chinam in usum trahas necesse est, ast initio cum nervinis jungendam, serius vero puram tradendam e. g.

R. Rad. Valeriana incis.

Pulv. cort. Chinae opt. $\frac{3}{3}\beta$

inf. per horas jj c. Aq. fontanae

s. Vini boni gallici ebull, q. s.

Colatura $\frac{7}{3}vj$

adde

Acidi phosphorici dil. 3j — jjj
 Spir. salis dulcis 5j — jj
 Syr. cort. Aurant. 3j

M. Sumatur quavis hora vel quovis biorio cochlear cibarium unum.

Ad comprobandum modo dictum haecce interviat morbi historia:

Lena Grahn sutoris filia, duodecim annos nata, constitutione scrophulosa, corpore haud ita gracili tinea laborans capitis, d. xv. mens. Maji in sectione medica Clinici nostri suscepta est. Medicamenta ei porrigebantur resolventia, externa remedia capiti inunguenda emollientia, nempe Ol. Olivarum cum Axungia et serius pauxillum adstringentia v. c. Ol. Olivar. cum Aq. Calcis; fonticulus insuper positus est in uno brachio, ac quotidie balnea adhibita. Unguenti prioris loco post nonnullos dies flor. Zinci cum Axungia in auxilium vocati. Diaeta gaudebat lactea. Hac ratione in dies status evasit melior, glandulae colli, prius valde tumefactae, pedetentim evanescunt sub digito explorante, tinea squamae et crustae deciderunt magna in copia. Sed praeter-

lapso aliquo tempore d. I. Jun. febris in conspectum venit, cuius causa, quod aegrota alias inter curam in melius mutari sibi videbatur, verisimiliter erat refrigerium. Pulsus irritatus, maxime acceleratus, arteriae centies vicies in sexagenisa horae micant parte, calor, lingua muco cooperata, alvus liquida bis de die ejicitur, cutis sicca, ciborum appetentia deest, dolores capitis, praeprimis in fronte et supra oculos. Inunctiones omittuntur et, ut actiones vasorum minuantur, pro potu praescribitur Cremor. Tartari 3j in aquae lagena una soluta; pro cibo vescitur mucilage avenacea.

Die II. Juni. Febris minus vehemens, arteriae nonagenis quinis vibrant vicibus, dolores capitis nulli; somnus turbatus erat; cutis magis sicca; dolores aegra sentit in abdomine; binae alvi ejectiones serosae. Squamae a capite largiter deslidunt, nonnullis in locis tinea recens propullare videtur, ulcuscula cum crusta obiecta sunt purulenta, inter illa cutis tenerrima est atque sana. — Cremor Tartari nnue minori in dosi ac pulverisatus exhibetur, ita ut quovis biorio cochlear theanum sumatur.

D. III. Jun. pulsus accelerati, parvi et irritati, calor capitis notabilis, cutis sicca, appetitus deletus, lingua haud pura; aegrota alvum semel depositus; inquies, virium jactura; vertigo nascitur, si aegra semet lecto erigere conatur. Dia-phoresin promovere decrevimus, quare Liq. Miner. der. cum Infuso Chamom. porrigitur.

D. IV. Jun. Febris persistit adhuc, pulsus frequens paulloque plenior, quam hesterno die, calor magnus, quamvis sudor adsuerit nocturnus profusus, nec nunc cutis sit sicca. Aegrota conqueritur sitem, lingua obitor tecta, ciborum cupiditas deest; dolores abdominis disparuerunt, alvi excretiones liquidae; quamvis magna somnolentia aegram vexat, tamen dormire nequit. Systematis vasorum nimia excitatio curae diaphoreticae neutiquam cessavit, ac tubi cibarii activitas forsitan prorsus a febre pendens, non multum diminuta est. Febris limitandae gratia, cum systematis vasorum turbationes haud sint primariae, sed dependeant a turbatione ultimorum nervorum finium, acidum phosphoricum eligitur cum ner-vino:

R. Infus flor. Chamom. ʒiv

Acid. phosph. dil. ʒij

S. Quovis bihorio sumatur cochlear cibarium.

Contra exanthema in capite, cuius crustae increscunt, exspectando egimus.

D. V. Jun. Febris vehemens, pulsus parvi longe frequentiores, capitis calor atque temulenta, cutis arida, lingua impura, sitis parca. Aegrotula nunc plerumque soporosa cubans, nocte antecedente mox taciturne, mox alta voce deliravit; febris nervosae symptomata sat conspicue apparuerunt. Symptomata encephalitidis essentia-
lia desiderantur; nullibi metastasis aliqua ma-nifesta, qua febrem nervosam exortam esse, vix credas, praesertim cum malum topicum neuti-quam sit sanatum, ac fonticulus bene suppuret. Ideoque febris a tinea capitis (porrigo scutellata Struve) non dependet, quamvis haec fortasse ali-
quid contulerit ad febris nervosae evolutionem. Ne damnum oriatur a minori integumentorum capitis vigore, qui, quod vero vix credendum produ-
ctus esse potuit cura antecedente, epithemata calida,
e surfuribus atque floribus Chamom. parata, ca-

piti superimponuntur, atque perspirationi sanctorianae facendi causa, aegra balneo tepido immittitur. Sicuti heri, ita et hodie contra febrem acidum phosphoricum, hac quidem in forma adhibetur:

R. Acidi phosph. dil. 5jj

Aquae fontanae 3vj

Syr. Althaeae 3β

MS. Sumatur quavis hora cochlear cibarium.

D. VI. Jun. Pulsus, lingua, alvi excretiones ab hesterna conditione non discrepant; deliriis aegra quidem vacat, nihilominus vero adhuc soporosa, nec caput adhibitis fomentationibus in producenda porrigine plus agit; reliqua cutis quamquam calida, attamen non ardens. Balneo immittitur aegra, mixtura continuatur, capiti vero fomentationes ultra non imponuntur.

D. VII. Jun. Pulsus pleniores, adhuc febiles, lingua muco cooperta, alyi excretio nulla, cutis sicca; capitum dolores atque calor decreverunt. Exanthema nunc quasi emortuum, totius capitum epidermis squamis decidit, uec sub illis plumbum observatur extrayasatum. Fonticulus rite

suppurat. Cum acido phosphorico, addito nerino pergitur hac forma:

R. Rad. Valerianae inc. 3jj

inf. s. q. Aq. servid. ad Colat. 3vj
adde

Acidi phosph. dil. 3jj

Syr. Althaeae 3β

MS. Sumatur quavis hora cochlear cibarium.

nec balneum omittitur.

D. VII. Jun. Febris paullo lenior, lingua purificari incipit, cutis sicca, alvus clysmate difficulter soluta est. Mixturae hesternae rad. Valerianae adjicitur 3j; balneum repetitur; his exceptis aegram poma cocta edere, ac potum haurire e succo Oxycocci confectionum, jussimus.

D. IX. Jun. Pulsus pleni, nullam fere prodentes febrem. Cutis madescere incipit, caput nec calidum, nec siccum; in fonticulo suppuratione rite viget; alvi excretio nulla; tussis quae eandem, ac febris agnoscere visa est causam, sicca fit ac molesta, quare diligentiore poscit curam, cui hisce satisfacere studemus medicamentis:

- R. Sulphur. stibiat. aurant. gr. $\frac{1}{2}$
 Extr. Hyoscyami gr. β
 Sacchari albi gr. x
 M. f. Pulv. dent. tal. dos. No. vi
 S. Mane et vespere sumatur pulvis unus.
 Reliqua medicamenta non mutantur.
 D. XI. Jun. Pulsus frequentiores magisque irritati, lingua ut in febre nervosa plerumque obiecta et sicca, sitis major reddit; sudore noctu orto profuso, cutis madet; alyus constipata, tussis non mitigata est. Hesternis remediis balneum additur calidum atque clysmia e flor. Chamom. Ol. Olivar. atque sale culinari.
- D. XII. Jun. Febris paullo mitior facta est, cutis perspiratio rite procedit, lingua muco tecta; alyus clysmate applicato semel, hodieque sponte soluta est. Balneum tepidum ordinatur et quia fonticulus profundior pugnus magis fluidum secernere incipit vinctura, ut ulcus avertatur pejus, cum liquamine fit Myrrhae.

D. XIII. Jun. Febris in dies decrescit; aegera cibos rursus appetit, ac melius se valere sentit. Liquamine Myrrhae puris indeoles in melius versata est. Nec hodie balneum praetermittitur.

D. XIII. Jun. Pulsus pleni, nil ostendunt naturae febrilis; aegrotula, excepta debilitate, nil aliud conqueritur. In capitis exanthemate nullus animadvertisit vigor. Hodie exhibetur:

- R. Rad. Valerianae concis 3jj
 inf. c. q. Aq. fervid. ad Colat. $\frac{3}{2}$ vj
 adde
 Syr. cort. Aurant. $\frac{2}{3}\beta$
 SM. Sumatur quavis hora cochlear unum cibarium.
- D. XIV. Jun. Tussis usu pulverum continuato lenior reddit; In capite sub epidermide, squamulis secedente, nova actio conspicua esse videtur. Fonticulus rite suppurat. Tempestas calida cutis perspirationi favet; sequentia exhibere decrevimus:
- R. Rad. Valerianae inc. $\frac{2}{3}\beta$
 Pulv. cort. Chinae 3jj
 inf. s. q. Aq. fervid. ad Colat. $\frac{3}{2}$ vj
 adde
 Acidi phosph. dilut. 3jj
 Syr. cort. Aurant. $\frac{2}{3}\beta$
 MS. Quovis bihorio sumatur cochlear cibarium.

Ad XXII. usque Jun. pulveribus mixturaque postrema continuatis, ne vestigium quidam remansit febris, porrigo rediit, qua apparente quoque medicamina omissa omnisque curandi ratio talis instituta est, ut porrigo solummodo respecta fuerit, qua denique mens. Octobr. aegrota immunis facta, e Clinico dimissa est.

Febris nervosae pituitosae historia hic commemorari meretur:

Angustus, quindecim annos natus, constitutionis infirmae, die xvi Novbr. anni MDCCXXIV ad sectionem Clinici nostri medicam deductus est.

Examine instituto, haec comperimus: Refrigerium perppersus haud leve, die quarto mens. Nov. aegrotare intcepit; dolores conquestus est in fronte, coryzam, tussem siccum, artuum sensum gravem, lassitudinem, deletam ciborum appetitiam, horripilationes, frigus, caloremque sugacem, vesperam versus adauctis. Haec symptomata ad diem nonum mens. Nov. pedetentim invaluerunt, atque febris in conspectum venit vehemens inflammatoria catarrhalis, magnis pectoris affectionibus comitata. D. x. Nov. sedes apparuerunt liquidae; denique aegrotus ad diem

decimum sextum, omni destitutus attis salutiferae auxilio, nos precibus suis adiit. Febris adynamica manifesta erat. Pulsuum ictus centeni vicini, ceterum celeres debiles, exiles, sed regulares, cutis aspera, sicca; lingua orisque cavitas muco albo ac tenace obductae, respiratio angustata, difficilis, simulque dolores pungentes idemque vehementes sinistro in pectoris latere, tussis brevis et sicca, a quovis inspirandi periculo provocata et adaucta. Capitis temulentia, dolores frontis et occipitis haud ita exigui; in sphaera sensibili nullae prope obviae sunt perturbationes, abdomen attactu molle et valde dolorificum est. Vesicatorium ad affectiones pectoris leniendas, tussim mitigandam, sputaque promovenda, pectori applicatum; pro usu interno Iuf. rad Angelicae cum Liq. Minder. porrigitur. Angelica, medicamentum excitans efficax, hic indicata esse videtur ob sedes liquidas verisimilemque labem chronicam inflammatioriam membranarum tubi cibarii mucosatum, ac Liq. Minderer. ad juvandam crism per cutem, cum ejus perspiratio in vectura aegroti snppressa fuerit.

D. XVII. Nov. Eadem habitudinis commu-

nis ratio, dolores capitis iidem, sensorii functiones haud laesae, dolores pectoris minores, tussis sicca adhuc praesto est. Pulsus irritati, centenis tricenis in sexagesima micant horae parte. Abdomen dolet, alvus semel soluta est; quae sedibus sunt evanescunt, tenacia, mucosa, serosa apparent. Corporis tempesties aucta, cutis sicca. Acger quiete nocturna frumentorum valnit ob deliria vehementiora. Ut vasorum actio nimia, ab affectione nervorum iis prospicientium, temperetur, vires vitales majorem ad vim incitentur, denique ut sedes nimiae tollantur, Angelica exhibita est cum Acid. phosph. dilut. atque Spir. salis dulcis. Surissinapismus, quo derivetur a capite, impositus, et abdomini illitum est Linim volat. cum Laud. liquid. Syd. Angelica hacce praebetur in forma.

R. Rad. Angelicae ʒʒ

inf. s. q. Aq. fervid. ad Colat. ʒvj
digere per horam, adde

Acidi phosph. diluti ʒj

Spir. salis dulcis ʒj

MS. Sumatur quavis hora cochlear ci-
barium unum.

Sub noctem, octava hora, aeger statu versatur meliori, respiratio magis expedita, capitis dolores suppressionisque sensationes multo minores, arteriarum pulsus ejusdem conditionis, ac prins; abdomen haud ita dolorosum, nullae apparuerunt sedes.

D. XVIII. Nov. Pulsus minus pleni, atque minus frequentes, caput non ita dolens; dolores in thorace aliqua ex parte evanuerunt, tussis rara, brevis, nec maiores ciens dolores; abdomen in contrectatione sensibile, dolorque fixus in regione processum xiphoideum inter atque umbilicum; lingua muco flavo inquinata, sapor in ore amarus, vappidus, magna muci copia in ore conspicua; vomituritione vehementi latex acris amarus ejactus est cum Ascaride uno lumbricoide. Omnibus dum respondisset indicacionibus mixtura repetita est. Organorum digestio- nis simul adesse passionem, sat perspicuum, quin imo credendum, principem eam fuisse aegritudinis causam, cum dolor ille quocunque motu, quocunque attractionis periculo facto, atque vomituritione, abdominalisque, conditio ante aegri ad tentum probabilem reddant affectionis membra-

narum mucosarum lenis subinflammatoriae suspicionem. Quae cum ita se habeant, illa in organa fortius agendum esse, negari nequit, eandemque ob causam porrecta sunt aegro sequentia:

R. Natri subcarbonici 3jj

Succi Citri q. s. ad perfectam saturationem
adde

Aq. flor. Chamom. 3iv

S. Sumatur alternis vicibus cum mixtura antecedente cochlear unum cibarium.

In loco ante dicto, doloribus affecto, vesicatorium positum est. Aegrotus debilissimus est, ac sat irritatus. —

Vespere hora octava. Nullae functionum manifestae majores mutationes, pulsuum conditio melior; arteriarum ictus regulares, aestus cutis paullo desit, lingua adhuc impura, vomititiones adsunt; vomitusque iisdem phacnomenis ac mane apparuit; caput dolorum expers; abdominis non cesserunt dolores; sedes nullae. Ceteroquin aeger in statu aliquo adhuc versatur irritato. Praeter medicamenta priora infuso An-

gelicae cum Acid. phosph, additur Valeriana, ac enema adhibetur e flor. Cham. Ol. Olivarnm atque Sapone confectum.

D. XIX. Nov. Pulsus hesternae conditionis, respiratio paullo adhuc impedita, caput parum obnubilatum, abdomen ubi attingitur, maxime dolet; nausea, sapor amarus, vomititionis insultus. Medicamenta repetuntur, idemque fit cum illinendis; Vesicatorium dolorifico loco inter scrobiculum cordis ac umbilicum, surisque applicatur sinapis. Clysmate priori cum glibae durae, atque lutosae simul cum levamine dolorum, saporisque ingratii abitu excretae fuerint, idem repetitum est. —

Vespere hora octava aegrotus paullulum recreatus est, caput doloribus sensuque obtuso vacat. Dolores in scrobiculo cordis sub attactulunge minores, sedes sunt serosae, pulsus regulares; vires adhuc decumbunt. Medicamenta reiterantur.

D. XX. Nov. Omnes functiones rite fere praecedunt; Sensorium nulla ex parte affectum, nausea saporque ingratus evanuerunt, linguæ media modo pars fusco oblita muco, respiratio

libera; dolores in regione ventriculi propemodum nulli, pulsus aequales, parvi, rariores. Cibos aeger appetens, juscule famem sopivit. Debilitas adhuc magna. — Mixtura supra memorata, quae Angelicam, Valerian. et acid. continet phosphor. nunc quavis hora praebetur, ac saturatio suspenditur.

D. XXI. Nov. Aeger nil conqueritur, nisi hoc sit languor maximus; arteriarum pulsus un-decenteni, parvi. Mixtura cum acido phosph. quarta quaque hora locum cedit saturationi. Aegrotus quartam accipit ciborum, in Clinico nostro aegris destinatorum, partem, qua samen leniat.

D. XXII. Nov. Aegrotus bene valet, Pulsus parvi, rariores, aequales, pectus dolorum ex-pers, nec minus abdomen; nullum omnino sym-ptoma manifestum est, quod affectionem inflam-matoriam indicet. Remoto vasorum nervorumque systematis statu irritato, acid, phosphoricum omissum est, ejusque loco Inf. Angel. cum Vale-rian. additis Spir. salis dulcis ac Elix. roborant. Whytt. et quarta quavis hora saturatio propinan-tur. Convalescens serius Chiae, rad. Galami et Extr. Cascarillae vires saluberrimas agnoscens,

die XVI. Dec. prorsus sanatus, auxilio amplius non egebat medico.

II. In Phthisi pulmonali.

a) In Phthisi pulmonali purulenta. Auctore Goeden 31) (Phthisis pulmonum phlegistica) in-dicatum est acidum phosphoricum primo in sta-dio inflammationis chronicae occultae, ubi dispo-sitio inflammatoria phthisica, dolores latentes in imo pectore, spirandi difficultates periodicae, tussis brevis atque sicca, haemoptysis periodica, febrisque hecticae vestigia adsunt, ubi porro sta-tus morbosus magis est periodicus uti e. g. in col-liquationis stadio, in phthisi florida, ubi semini-um quidem adest morbosum, morti vere indoles peculiariis adhuc nou erupit. Secundo in stadio, suppuratione jam apparente, ni medicamentum radicale, tamen saltem palliativum esse valet aci-dum phosphoricum.

Duorum aegrotorum histerii Goeden rem-
confirmat:

31) Horn's Archiv 1811. Bd. I. S. 256.

Puella quaedam duodevicesimnm aetatis annum agens, speciem prae se ferens constitutionis phthisicac latentis, ad decimum septimum usque annum optima gavisa est valitudine; hic vero refrigerium perpessa est, quo menses fluentes suppressi fuerunt. Post aliquot dies dolores pectoris pungentes fugaces, sensus oppressionis et anxietas in inspiratione profunda, calor fugax vices mutans cum horripilationibus, tussis sicca, haemoptysis praesto erant. Venae sectione sanguinem aegrota sibi detrahi curavit, quoinde molestiae ac haemoptysis cesserunt, sed pectoris affectiones nunquam plane evanuerunt. Menses, antea suppressi, rursus apparuerunt, sed inordinati, nec adversam valetudinem reddiderunt meliorcm. Praeter lapsu aliquo temporis spatio perpetui tussis insultus torserunt aegram, sanguinisque laete rubri ac spumosi hand exigua per pneumorhagiam ejjecta est copia; simul in conspectum venierunt dolores in thorace fugaces periodici, oppressio atque anxietas gravissimae, praecipue in inspiratione; spiritus celeres, leniores motus febries versus vesperam, diu calor fugax intercurrent, dolores pungentes ac urentes in cute, fronte et in ge-

nis, ardor palmarum, sitis lenis, appetitus depletus, dolores capitis; pulsus colcres erant, non quidem debiles, sed parvi et duriusculi; somni nocturni quies turbata erat. In principio Goeden exhibuit:

R. Kali nitrici $\frac{2}{3}$
solve in

Aq. flor. Sambuci $\frac{3}{j}$
Mucilag. gummi arabici
Syr. Althaeae $\frac{aa}{3jj}$
Opii puri gr. j

S. Sumatur quavis hora cochlear unum cibarium.

Pro potu praescrispsit aquam cum acetovini, aegrotamque in balneum tepidum, cui sal culinare additum, immergi curavit. Die insequente nullum apparuit levamen, phaenomenisque prioribus nanca, et dolores in abdomen praeterentes sese adjunxerunt. Balneum repetitum era \ddot{s} atque haec mixtura propinabatur:

R. Acidii phosph. dilut. $\frac{3}{j}$
Mucilag. gummi arabici $\frac{3}{iv}$
Syr. Althaeae $\frac{3jj}{j}$
Opii puri gr. j.

MS. Praebeatur quovis bihorio cochlearum unum cibarium, cui suggestur pētus spissus muci avenacei.

Tertio subinde die omnia in melius versa fuerunt, haemoptysis rarer redditum est, sanguis cum muco jam mixtus, tussis non ita frequens, respiratio liberior, pulsus lentiores, ciborum cupiditas. Medicamenta continuata fuerunt longioribus intervallis, decemque diebus puella ad negotia consueta rediit.

Simili modo Goeden puerum tractavit, qui antea febre laboraverat intermitente, quae, forma mutata, in febrem transierat hecticam, magnis doloribus pectoris ac pneumonorrhagia vehementer stipatam; acidum phosphoricum puerum in integrum restituit.

Robbi 32) in aegroto aliquo quadraginta duos annos nato, qui Phthisi pulmonali laboravit febre comitata hectica, vires tentavit acidi phosphorici, quod tali praescripsit modo;

32) I. H. Robbi merkwürdige Beobachtungen über den inneren und äusseren Gebrauch des Phosphors.

R. Acidi phosphor. puri 3vij

Aqua destillatae 3j

Syr. Althaeae 3β

MS. Praebeantur guttae xii
quavis dimidia hora.

Postea dosis ad xxx — L guttas aucta. Aeger plane sanatus est.

Brevi abhinc etiam in Clinico nostro efficaciam vidimus acidi phosphorici in debellanda Phthisi laryngea. In puella trigesimum aetatis annum agente, semestri praeterlapso Pseudosyphilide liberata, omnia Phthiseos laryngeae symptomata, hectica insuper universalis manifestarent; in faucium cavitate ulcera apparuerunt, Aegrotula lacte fruebatur; super laryngem vesicatorium positum, ac pro gargarismate Decoc. Cicutae exhibitum est. Medicamenta interna erant: Mane vesperaque pulvis Sulphur. aurat, atque Extr. Hyosc. aa gr. β, tum medicamenti sequentis:

R. Cort. Chiae pulv. 5jjj

inf. s. q. Aq. fervid. ad Colat. 3vijj

adde

Acidi phosph. dil. 3jj

MS. omni secunda hora cochlear unum
cibarium sumatur.

Quae cum aliquamdiu repetita fuerint, ad aucta
sensim sensimque acidi phosphorici chinaeque do-
si omnia meliorem prae se ferebant speciem.
Post sex dies e pulvere Extractum Hyosc. omisimus,
ejusque loco Digital. gr. β adjecimus. Sputis fe-
brique paullatim imminentis, vires redierunt, tri-
busque septimanis sanitatem recuperaverat aegrota.

Unde, queso, acidi phosphorici eximiae
in domanda Phthisi purulenta viros explican-
dae? In omnibus organismi nostri partibus aci-
dum phosphoricum praesto est illarum pars con-
stitutiva. Suppuratione in partibus Phthisi affec-
tis, discidium exoritur, quod etsi explicare no-
bis non liceat, tamen pus bonum, experimentis
Celebrissimi Lassaigne circa han̄c rem institutis,
acidum phosphoricum non continere, edocti su-
mus. Ad sanationem vero abscessus alicujus vel
ulceris p̄pre opus est sincero, quo juvante granu-
latio enascitur, cuius ortui manifeste acidum
phosphoricum favet, dum hocce a granulatione
in qua contentum est, non ex pure, sed ex parti-
bus vicinis attrahitur. —

b) In Phthisi pulmonali pituitosa.

Quamvis Materiae medicae auctores acidi
phosphorici ad oppugnandam hanc phthisin men-
tionem non faciant, prolecto tamen hujuscemodi
exemplum memoratu est dignissimum. Duce
Cel. Struve, praceptor ad cineres usque colendo,
mihi ipsi in Clinico nostro curae traditus fuit ae-
grotus, qui Phthisi laboravit pituitosa, quam qui-
dem acidum non prorsus amovit, revera autem
omnia reliqua medicamenta hic celebrata multo
superavit. Hac ex causa hujusce morbi historiam
paucis referam:

Antonius Buschkow vigiuti novem annos na-
tus, temperamenti phlegmatici, constitutionis ro-
bustae, nunc vero emaciatus, jam D. XXII.
April a. MDCCCXXIV nostrum adierat auxilium
ob catarrhum pulmonum, refrigerio exortum. D.
IV. Maj. convalescens, omnem rationem respicens,
in eo perseveravit, ut dimittatur, quo factō rus
petuit, atque ex indicio suo, omnibus laboribus,
corporis motum majorem requirentibus, immunis
refrigerium erroresque diaeteticos quam maxime
evitans, medicamentis usus est Lichene islandico
atque lacte caprarum. Tali modo valetudine ga-

visus est haud ita adversa, ast sex septimanas antehac noctu, corpore sudore cooperto sat largo, lodice remota, frigori nimis patuit ac postridie mane erroris jam sentiit sequelas. Febris eum nempe aggressa est catarrhalis, cuius exacerbationes vespertinae sudore terminabantur; mane frigoris aderant insultus; tussis increvit, sputa mucosa frequentiora et copiosiora apparetant una cum doloribus prementibus sub omni antico thoracis pariete. Tres dies abhinc exacerbationes febriles vespertinae locum cesserunt matutinis, iisdemque gravioribus. Intestinorum functiones praeter molestias a Taenia productas, integrae erant, alvique excretiones normales.

D. XXVIII. Jul. aegri reducis talem, quallem descripsi, invenimus conditionem; pulsus paullo accelerati et duriusculi, sputa cruda spumosa, vox rauca et aspera.

D. XXIX. Jul. Hodie mane exacerbationes febris quarta hora ortae sunt cum calore; pulsus semper adhuc frequenter. Ut vasorum, tussisque dominantur impetus, Decoc. Althaeae cum Nitro atque Extr. Hyosc. exhibetur, aegerque vapores Fl. Chamom. et Sambuc. inspirare jubetur; thoracis

loco, in quo maximos aeger percipit dolores, quatuor imponuntur sanguisugae.

D. XXX. Jul. Tussis et sputorum idem est statns, dolores vero paullo sunt mitigati. Secunda hora tempore matutino febris apparuit, quo facto postea paullo sudavit aegrotus, qui mane ad decimam usque horam quater ejecit alvum liquidam, fortasse a refrigerio vel a Nitri usu productam; ut vis laxans, quam Nitrum in tubum cibarium exercet, limitetur, illud in Decocco Althaeae concentr. porrigitur. — In thoracis latere sinistro vesicatorium ponи curavimus.

D. XXXI. Jul. Eodem tempore, quo heri, et hodie incepit febris, hecticam magis magisque ostendens naturam; pulsus adhuc accelerati, diarrhoea mansit, quam ob causam, Nitro praetermisso, hanc praebuimus Emulsionem:

R. Emuls. sem. Papaver. ex ʒβ
paratae ʒvj

Acidi phosph. dil. ʒjj

MS. Sumatur omni secunda hora cochlear unum cibarium.

Dolores tussi incitatos mitigandi causa pulvrem Ipecacuanh. cum Extr. Hyosc. propinavimus.

D. I. Aug. Hodie mane nulla adest febris, eo copiosiora autem cum tussi ejecta sunt sputa, quo nocturna quies valde turbata fuit; diarrhoea non cessat. Pulsus minus irritati; aeger queritur de doloribus in collo, cujus ut lubricetur locus dolorificus Decoct. Althaceae cum Succ. Liquiritiae in usum trahitur. Ceteroquin medicaminum priorum usus continuatur.

D. II. Aug. Febris omnino disparuit, tussis atque inspiratio profunda minores gignunt dolores; pulsus tranquilli; nulla fere diarrhoea.

D. III et V. Aug. Medicamina non permittantur quidem, sed pulveribus Calomel additum.

D. VI. Aug. Idem. Calomel vero omittitur, ejusque loco Sulph. aurat. adhibetur.

D. VIII. Aug. Sputa in dies decrescunt, sed aegrotus nunc tussiculosior, quare mixturae Aq. Amygdal. amar. concentr. 3jj admiscentur.

Hac agendi ratione, adancta solum Aq. Amygdal. dosi complures per dies continuata, aegroti valetudo magis magisque in melius abiit, febres simul evanuit, pulsus tantum parum irritati fuerunt. Doloribus in sinistro thoracis latere fixis, vesicatorium indicatum fuit. Seius aegro-

tus Extr. Myrrhae aquos. accepit, quod mox quia nocere videbatur, omissum est, dein Lichenem island. cum Aq. Lauro-cerasi et acido phosph., cui mixturae postea Chinam addidimus alternisque cum illa vicibus acidum hydrocyanicum propinavimus, quod vero nullam salutarem exercens in morbum vim, mox remotum est. Sanatione tarde progrediente aegrotus rebus domesticis, Clinicum deserere coactus erat, nec a nobis amplius visus est.

In principio anni currentis alia adhuc in Phthisi pituitosa simul cum pneumonorrhagia acidum phosphoricum a nobis tentatum est in connubio cum China, quibus pneumonorrhagia sedata, muci excretio minor reddita est, doloresque in pectore pungentes sublati sunt; nunc morbus magis magisque ad finem vergit optatum.

III. In impotentia.

In membra genitalia labefactata, quae vires suas plane amittere minitantur, horum medicamentorum connubium, vim quam maxime exercet refocillantem. 33)

33) Recepte und Kurarten der besten Aerzte alter Zeiten. III. S. 46.

R. Acidi phosph. vitr.

Cort. Chinæ opt. pulv.

Extr. cort. Cascarillæ $\frac{aa}{3}$ β

Limatura Martis $3jjj$

Camphorae $5j$

M. f. pil. pond. gr. j. consp. pulv. Cin-
nam. S. Sumantur ter de die, nempe
mane et vespera decima, tempore
pomeridiano vero quarta hora de-
cem pilulae.

Lacticinia evitanda et tertia quavis die ob-
incipitationem, quam continuus acidi phosphorici
usus perficeret, quaéque pulmonibus apprime
nocete posset, mixtio illa seponenda est.³⁴⁾

IV. In Onania inveterata.

Robbi ³⁵⁾ testimonium affert memoratu di-
gnissimum de efficacia nostri in hoc morbo medi-
camenti. — Juvenis quidam academicus ita huic
flagitio indulserat, ut vires animi corporisque exi-
mio jam in gradu debilitatae fuerint; complures

34) G. W. Schwartze pharmacologische Tabellen.
II. Bd. 1, Abth. S. 229.

35) Robbi l. c. p. 56.

quotidie vel involuntarias spermatis ejectiones
perpessus est, vel libidinosis imaginibus manu-
stuprationibusque productas. Pollutiones noctu
adhuc frequentiores, praesertim ubi aeger, brevi
antequam cubitum iret, cerevisiam, vinum, vel
cibos assutus. Juvenis quamvis valde sollicita-
tus flagitio suo, conscientiaeque stimulis agitatus
est, moderare tamen sibi non valuit. Robbi to-
nica primum ei praebuit, diaetam nutrientem nec
vero excitantem praescripsit eumque corpus tam-
din agitare jussit, usque dum defessus amplius
non posset. Postea haec illi propinavit:

R. Acidi phosph. $\frac{3}{j}$

Aq. Rubi Idaei $5vj$

Syr. Rubi Idaei $\frac{3}{j}$

MS. Sumatur ter de die cochlear
theanum.

Acido phosphorico quatuor septimanis adhi-
bito, non neglectis motu corporis atque diaeta bo-
nia, pollutiones nocturnae multo rariores, diur-
nae rarissimae factae sunt. Aegrotus revixisse
sibi visus, curas magis magisque posuit, facie col-
lor vigore incepit, muscularorum laxitas in dies de-
crevit. Acidi phosphorici dosis ita aucta est ut

mixtionis dictae cochlearium theanum unum cum dimidio sumendum esset aegro. Manifesta erat conditio melior, pollutiones enim diurnae jam nullae, nocturnae rarae tantum erant. Sperma spissius redditum est, ac odore validiori, quam antea; nec testiculi amplius tam laxi pependerunt. Nunc genitalia inuncta sunt cum phosphoro, oleo aliquo aethereo soluto, cui camphora adjecta est, balneaque chalybeata in usum ducta. Acidi phosphorici usus internus usque eo continuatus est, dum pollutiones paene prorsus evanuerunt, vel ad summum quatuordecim dierum intervallis apparuerunt. Tali modo aegrotus valetudinem recuperavit perditam.

V. In haemorrhagiis asthenicis.

Luetzelberger 36) acidum phosphoricum adhibuit in metrorrhagia, qua laboravit semina aliqua debilissima, quae jam sexies partum ediderat, atque ob sanguinis jacturam permagnam morti appropinquavit; nulla amplius opem fere-

36) Journal der practischen Heilkunde v. Hufeland. Bd. 26. St. 1. S. 152.

bant medicamenta hoc in morbo insignia, unicum acidum phosphoricum aegram servavit, de cuius salute medicus desperavit. Forma quam ille praescripsit haec erat:

R. Acidi phosphor. puri 3j

Aqua destillatae 3β

Syr. Cerasor. 3jj

MS. Suntur quarta quaque horae parte guttae x.

Dosis subiude adaugta seriusque China adhibita est cum acido phosphorico.

Felici hocce eventu excitatus Luetzelberger acidi phosphorici vires in compluribus aliis tentavit haemorrhagiis asthenicis, in stomatorrhagia, epistaxi atque haemorrhoidibus; semperque successu optimo commendatum est experimentum.

Et in nostro instituto Clinico duce Cel.¹ Prof. Struve metrorrhagia semel sublata est acido phosphorico.

Eva quadraginta annos natā, circiter annum abhinc refrigerio, cui in famulatu saepius expedita fuit, permagnam metrorrhagiam perpessa est, ita ut quatuor diebus conscientiae esset expers; medici alicujus opera sanata est mensesque

rcdierunt, sed fluxus illorum semper solito erat copiosior. Ante tres menses iterum experta est refrigerium maximum, quo facto nova eam corripuit haemorrhagia ex utero, simul cum atrociibus capitis doloribus. Ex illo inde tempore prope altero quoque die mox sanguinis stillicidium in conspectum venit, mox massae coagulatae pugnorum mole ejectae sunt, vel sanguis emanavit male olens, vel purus venosus. Tali condizione aegrota viribus exhaustis ad institutum Clinicum delata est d. XVII. mens. Januar. a. MDCCXXIV. Constitutionis illa est sensibilis, alias corporis sat firmi, annos viginti abhinc poterit. Examine obstetricio haec explorata sunt: abdomen molle, atque in uno tantum loco in regione colica sinistra attactu dolens, Portio vaginalis in apertura pelvis media posita, paullo retrorsum tracta, eminentiis obsessa erat compluribus sensu carentibus; praeterea orificio uteri erat apertum, ita ut apicem digitii explorantis facile exciperet. Ciborum cupiditas non erat, alvum vero bis vel ter facile deponebat; excrementa pulvacea erant. Pulsus frēquentes, sed parum irritati, lingua paullulum obtecta. Lo-

tium obscurins tinctum, in superficie sua ostendebat laminas crystallinas nitentes. Aegrota praeterea querebatur de doloribus capitatisque lumborum, nec non de lassitudine eximia. Hocce modo accepit acidum:

R. Acidi phosph. diluti ʒijj

Aquae communis ʒix

MS. Sumatur quavis hora cochlear unum cibarium.

D. XVIII. Jan. Aegrota noctem absque somno transegit atque magnam ob anxietatem in lecto se circumvolverat; locus jam memoratus in abdomine adhuc dolebat; situs commendabatur in tergo quietus. Medicamenta mutare haud visum est. — Vespera circa horam septimam spasmos praecedentes, dolores in dorso atque regione lumbali haemorrhagia larga sequebatur; sanguis grumis erat coagulatus, male olens, serique copia praestō erat; pus quidem non reperiebatur, sed pauxillum muci; ad meridianam usque noctem sanguis emanabat purus venosus, tunc haemorrhagia ultra cessabat.

D. XIX. Jan. Aegrota magis erat labefactata, pulsus moliores erant, doloresque capitis aegrota

sentiebat atrociores; convulsiones nunc apparetant totum corpus convellentes, inter quas aegrota pro tempore aliquo sibi non erat conscientia. Alium aegra bis ejecerat; abdominis conditio erat ac heri. Symptomatis praedictis perducti hocce propinare decrevimus:

R. Rad. Valerian. $\frac{3}{2}\beta$

inf. s. q. Aq. fervid. ad Colat. $\frac{3}{2}ix$
adde

Tinct. Castorei $\frac{3}{2}\beta$

Acidi phosphor. dil. $\frac{3}{2}jjj$

MS. Sumatur quavis hora cochlear
unum cibarium.

Tempore pomeridiano sanguinis stillicidium rursus incedebat, quo vero agendi ratio non mutabatur.

D. XX. Jan. Hodie haemorrhagia non apparebat, medicamenta eadem propinabantur.

D. XXI. Jan. Nulla haemorrhagia. Aegra maxime languebat; dolores in abdomen majores redditi, inflammatorii videbantur, quod nos comovit pulverem exhibere Calomel. cum Extr. Hyosc.; abdominique unguentum applicare e Li-

niment. antispast. Sell. et Ungt. neapolit. compositum.

D. XXII. et XXV. Jan., Haemorrhagiis atque doloribus aegrota nunc immunis manebat, somnus placidus erat, appetitus redire incipiebat, alvi excretiones atque urina normales reddebantur, ac praeter debilitatem magnam aegrota bene valebat, quamobrem ad medicamenta tonica confugientes praescripsimus:

R. Rad. Valerianae

Pulv. cort. Chinal. \overline{a} $\frac{3}{2}\beta$

inf. s. q. Aq. fervid. stent. in digest.
per horas jjj Colat. refriger. $\frac{3}{2}vjjj$
adde

Tinct. Castorei $\frac{3}{2}\beta$

Acidi phosphor. dil. $\frac{3}{2}jjj$

S. Sumatur omni biliorio. cochlear
unum cibarium.

D. XXVI. Jan. Hodie sudor eruperat universalis; lotium sedimentum fecit, in pedibus oedema apparuit cum sensatione pungente ac pruricente.

D. XXVII. et XXIX. Jan. Oedema disparuit. Aegrota nunc deambulare valet atque convalescit.

Acidum phosphoricum ad sistendas haemorrhagias asthenicas sententia Celeberrimi Herder 57) omnibus respondet postulatis, a) dum analeptico agit modo ac principio vitali infirmo nutrimentum adducit, b) quia ob iudicem suam acidam partes adstringit, c) quia statui incitabilitatis, quae haemorrhagias comitare solet, incitamentum est accommodatum, d) quia prompte agit.

In haemorrhagiis scorbuticis quoque et in morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii hocce acidum non sine fructu adhibitum fuisse dicunt.

VI. In ossium morbis generatim ac apprime in carie ossium.

Lentin 58) primus erat, qui applicationis acidi phosphorici mutuae, nunc internae, nunc externae, vim tentavit hisce in morbis; praecipue in cari dentium illud externe

57) Hufeland's Journ. 9, Bd. St. III. S. 148.

58) Lentin de acido Phosphori, cariei essinm domitore, in seipso Beiträgen zur practisch. Arzn. Wissensch. B. II. S. 139. — Göttingen's gelehrte Anzeigen 1796. S. 2041. — Leder's Journ. der Chirurgie Bd. I. S. 555. — Hufeland's Journ. Bd. I. S. 166,

applicuit cum Myrrha. Observations ejus aliorum medicorum experimentis confirmatae sunt.

Hargens 59) acidi phosphorici ope sanavit cariem, quae jam duas tertias partes tibiae, inferiorem fibulae, eandemque femoris destruxerat partem; apertura cutanea in anteriori tibiae facie octo uncias longa, tres uncias lata erat, excepta illa magna aferat foraminum minorum copia cum fistulis, saniesque pullulabat e vulnere coloris spurci ac odoris foetidi, specillum ac linteum nigricans; simul genu erat tumidum, informi aspectu atque sanum triplo ambitu superabat; femora vero emacrata, ita ut cutis in osse cubare videretur. Sudores nocturni ac tussicula vires aegrotantis adhuc magis consumebant. Causa proxima verisimiliter acrimonia erat scrophulosa atque causa occasionalis laesio externa. Acidum phosphoricum hic exhibebatur pro usu interno et externo. Externe nempe acidi phosphorici concentrica. ʒj in Aq. Rosarnm ʒvjj soluta bis vel ter de die in omnes fistulas injiciebatur atque in omnibus cavitatibus cum linteo carpo ponebatur

59) Hufeland's Journ. Bd. VIII. St. I. S. 167.

cui initio pauxillum Tinct. Myrrae addebatur, serius loco Aq. Rosarum, Decocum Chionom. propinabatur. Pro usu interno:

R. Acid. phosphor. concentr. 3ij

Aq. foeniculi 3x

Syr. Althaeae 3j

S. Sumatur omni trihorio cochlear unum cibarium;

Huic mixtione aliquando Extr. Chiae adjiebatur, ac sensim sensimque acidum phosphoricum augebatur ad $\mathcal{D}\beta$. Cibis aegrotus vescebatur eximie nutrientibus. Tali sub cura in dies increverunt vires, sanies in pus bonum abiit, fistulae occludebantur, tumor informis minuebatur paulatim, febris phthisica lente cessavit, dolores osteocopi evanuerunt, elapsisque octo membranibus aeger grallis fuit (ankylosis enim articuli genu non erat evitanda) incidere valuit.

Michaëlis 40) acide phosphorico eodeni modo usus est in destructione articuli genu, ubi simul summus adfuit languor.

40) Hufeland's Journ. Bd. XVIII. St. III. S. 13.

Robbi 41) acido interne atque externe applicato cariem debellavit tertii dextrae manus metacarpi.

In Rhachitide Lentini, Wurzer et alii suarunt acidum phosphoricum, sed experimenta hoc consilio serius instituta, successum ejus pollicitum non confirmaverunt et sententia Celeberrimi Haase 42) hac ex causa nil praestare valet, quia hoc ipso in morbo abunde nascatur acidum phosphoricum, quod relative nimis magnam solvat copiam calcariae, quae a corporis humoribus recepta, lotio rursus excernatur

VII. In diabete mellito.

Nicolas et Gueudeville 43) virginem tractaverunt sexaginta unius anni, quae diabete mellito correpta, quotidie duodecim ad quindecim mensuras (Pinte) lotii excrebat, quod turbidum erat, evaporatum mellis odorem fundebat ac sapore erat dulci. Initio China atque carnium usus,

41) Robbi l. c.

42) Haase chronische Krankheiten. Bd. III. S. 434.

43) Nicolas u. Gueudeville über d. zuckrige Harnruhr, im neuen Journ. d. ausländ. med.-chir. Litter. Bd. S. 90.

dein acidi phosphorici guttae xxx-xl in lugena una aquae solutae pro potu, Extr. simul Opii aquosam in pilularum forma, inunctionesque pingues in pedes applicatae, aegrotam omnino in integrum restituerunt.

VIII. In carcinomate uteri.

Hake 44) in semina aliqua carcinomate uteri, coniuncto cum odore foetidissimo sudoribusque colliquativis laborante, usu interno acidi phosphorici non modo factorem sed etiam sudores amovit.

IX. In morbis infantum.

Indicatum hic est acidum phosphoricum, docente Herder, 45) ubi plerunque receptivitas aucta, periculum in mora, remediumque poscitur prompte agens neque nimis incitans. Nostro remedio auctor ille complures servavit infantes, qui ob pulsus vix numerandos; pulsationem omnium arteriarum vehementem, imbecillitatem maximam aestu et sudore stipitam, artuum motuum convulsivos, spiritus anxios atque fœtentes, oculos infractos immobilesque, morte vix

44) Lentin l. c. p. 47.

45) Hufeland's Journ. Bd. 9. St. III. S. 156.

cripi posse visi sunt. Guttulae nonnullae cum fluido aliquo grato quarta quaque vel dimidia horae parte ori immissae, pulsus retardant, symptomata vehementia compescunt, respirationemque liberiorem reddunt. — Nec in dentitionis periodo hocce medicamentum repudiandum esse, exemplum probat Celeberrimi Herder, qui illius ope insultus epilepticos violentiores sustulit, eruzione dentium caninorum ortos.

X. In morbis cutaneis chronicis.

Harles acidum phosphoricum commendat in infantibus, ubi excepta majori irritabilitate atque infirmitate systematis vasorum, diathesis simul praesto est scrophulosa; praecipue in crusta serpiginosa 46). Herder 47) hoc acido amovit petechias nigras absque febre, cum infirmitate maxima ac mixtione sanguinis valde perversa incidentes; hoc in casu per nasum anum atque vias urinæ excretioni dicatas continuo sanguis ejiciebatur, idemque per labia non modo

46) Hufeland's Journ. 1816. S. II. S. 4.

47) Herder l. c. p. 174.

transsudabat, sed et lacrymis erat atque sudori admixtus, quibus colorem imperfivit subrubrum. Medicamentis frustra adhibitis, acidum denique phosphoricum sequente modo propinatum auxilium tulit:

R. Acidi phosph. puri ʒij

Aq. Menth. pip. ʒv

Syr. Paeoniae ʒijj

MS. Praebeantur guttae x. xv. xx. quavis dimidia hora.

Ad Pemphigum debellandum vix adhibendum est acidum nostrum; cum illud secundum Haase hoc in morbo jam adsit majori in copia ac usu ejus bullas augeri semel viderit. 48)

Interpres tractatus Celeberrimi Lobstein de phosphoro in additamentis suis notat, acidi phosphorici vitrificati grana xjj-xv pro usu quotidiano cum Extr. Chelid. atque Dulcamar. in pilularum formam redacta, optimo cum successu se adhibuisse in malis syphiliticis, ubi de vero charactere venereo atque quatenus ille fuerit extinctus, haesitavit; praecipue hae pilulae con-

48) Haase l. c. Bd. III, Ad. Abth. II, S. 329.

duxerunt in bubonibus inguinalibus spurcis atque ulceribus in palato. 49)

Præterea usus hujus acidi tentatus est secundum Ketterling in molesiis arthriticis, in Dysuria senum 50) in astheniis nervosis, in accessibus spasmodicis hysteri is, præc. tertii in mensibus suppressis, lipothymiis (Her. cr, He. kef 50) Voigtl.)

Ex analogia concludere licet, illud esse medicamentum non spernendum in omnibus morbis hecticis, in Tabe dorsali, denique in Hydrose.

Applicatio externa acidi phosphorici praesertim fit in ossium morbis, in carie, fistulis, ulceribus etc. — Si in carie dentium in auxilium vocatur, lubenter illud conjungunt cum Myrrha, maxime cum Liquam. Myrriae, cuius formulam invire licet in Dispens. Lipp. nomine Tinet. Myrrhae phosphoratae, secundum quod Myrrhae ʒi in digestione ponitur cum acidi phosphorici

49) Untersuchung u. Beobacht. über d. Phosphor v. P. F. D. Lobstein. Aus dem Franz. übersetzt vom Verfasser der Recepte und Kurarten der Ärzte jeder Zeit. Leipzig. 1817.

50) Hecker a. a. O.

diluti ʒ^{iv}. — Kletten 51) acidum phosphoricum commendat pro pulvere dentifricio, quem ad finem acidi phosphorici vitrificati, corticis Chinae, gummi Myrrhae ac pulveris lignarii (pulv. Carbonum) partes miscit aequales. Pharmacopoea castrensis ruthenica Unguent. adhuc commendat phosphoricatum, cuius partes sunt constituentes Acidi phosphorici ʒj et Axungiae ʒj contra atrodyiam, tumoresque ossium rachiticorum.

Acidum phosphoricum capte est adhibendum, praecipue ubi praesto sunt systematis vasorum actio aucta, proclivitas ad inflammationes activas, tussis sicca spasmodica, stimuli gastrici etc., ac omnino contraindicatum est, ubi sudores critici imminent. Usus ejus externus diu continuatus dentibus iniquus. 52)

Quod^v dosin attinet acidi phosphorici vitrificati gr. j ad v, concentrentati guttae v ad x, diluti praebentur guttae y, x ad xx, ita ut per

51) Pharmacopœa castrensis ruthenica. Auctore Wylie Equite Baroneto etc. Editio tertia, Petrop. 1818. Pars II. pag. 13.

52) Schwartz pharmacolag. Tacellen, Th. II. S. 229.

diem drachma una ad duas consumi queat; sed in haemorrhagiis asthenicis guttae quoque quinguenta ad sexaginta singulis vicibus, omnique nychthemero unciam unam aegroti assumere possunt. Pro potu quotidiano acidi ʒj miscetur cum Syr. Rubi Idaeii ʒj. — Conjungunt cum illo acido medicamenta excitantia volatilia, Valerianam, Cinnamomum, Chinam; notandum autem, si acidum una cum China praescribimus, mixturam quotidie consumi debet, quia, quod mea ipsa docent experientia, ni hoc sit, decompositio oritur, ex sedimento cognoscenda. — Cum emulsionibus quoque in Clinico nostro exhibutum est acidum phosphoricum, quamvis hic partes discidium patientur, dum verisimiliter acidum in mucum agat, indeque oleum separetur; tamen agitando materiae optime miscentur; boni vero effectus connubium hoc immutatum linquere nos coegerunt. — Acidum non esse cum salibus jungenund ob decompositionem, jam supra monui,

T h e s e s.

1.
Chinæ locum nullum aliud medicamentum ponit
potest.

2.
Phthisis pituitosa ad Phthises referre nequit.

3.
Nulla suppuratio sine inflammatione antecedente.

4.
Haemorrhœa petechialis morbus est cutaneus.

5.
Pilulae in formulis medicis numero semper sunt
praescribendae.

6.
Dysenteria est morbus acutus.

7.
Dentitio non est morbus.

8.
Carditis et Pericarditis distingui nequeunt.

9.
Liquor amnii nutriendo foetui inservit.

10.
Filum sericarium in vasis ligandis primum certe
obtinet locum.
